

RATIONALE DIVINORVM OF- FICIORVM

*A R. D. GVLIELMO DV RANDO Mimatenſi Epi-
ſcopo, I. V. D. clariffimo concinnatum: atque
nunc recens vtiliffimis Adnotatio-
nibus illuſtratum.*

Adiectum fuit prætereà aliud Diuinorum officiorum Rationale
ab Ioanne Beletho Theologo Pariſienſi, ab hinc ferè quadrin-
gentis annis conſcriptum: ac nunc demùm in lucem editum:

*Cum duplici, vno prioris, altero poſterioris Ratio-
nalis Indice locupletiffimo.*



L V G D V N I,
Apud Hæredes Iacobi Iunta,
1 5 6 0.



NICOLAUS DOARD
CAMPANVS, DOCTRINA, ET

moribus Clarissimo viro, D. Nicolao Doard, fra-
tri lectissimo, Marciliacensis Ecclesie

apud Sequanos, Præfetto
vigilantissimo.

S.



AE summus ille Orator, summus
Senator, summus denique Impera-
tor M. Cato, scitè ac grauitè adse-
uerabat non minùs negotij, quàm
otij rationem reddendam, lectissi-
mè frater: ratus magnus ille vir, om-
neis cogitationes commétationes-
que animi, omneis conatus & labores mortalium, nus-
quàm aliò esse referendos, quàm ad communè omnium
vtilitatem, atque posteritatis ornamentum. Lepidum
certè, & dignum homine Stoico responsum: cuius fides
ac industria & domi & foris, in Senatu, in acie, in toga,
in vniuerso denique orbe terrarum, priuatim ac publicè
explorata probatàque fuit. Cùm enim natura ipsa ca-
nem ad venatum, equum ad cursum, auem ad volatum
instituerit, hominem autem ipsum, tanquàm diuinum
animal, in lucem ediderit, ad laborem, gloriam, & impe-
rium compositum, ingenui ac liberaliter instituti est ani-
mi, in omnibus vitæ partibus munus id ipsum tueri &
colere, quod incumbit: dissoluti autem, peruersi & im-
manis, contraria rapere, voluptates sectari, & hanc na-
turæ dignitatem negligere. In quos, veluti inutiles, ina-
nes, & procos Penelopes, rectè conuenit illud Horatia-
nū: Nos numerus sumus, nati consumere fruges. Quod
multò ante eleganter expresserat Home. Εἰς τοῦτον ἀχθῶ

RATIONALIS, SEU ENCHIRIDION DIVINORVM OFFICIORVM, GVLIELMO

Durando, Præfule Mima-
tensi, Authore.



S V M M A.

- 1 Officia ecclesiastica, nacta diligentem auscultatorem, magnam gignūt sua-
nitatem.
- 2 Figura in diuinis, sunt virtutum signa.
- 3 Prælati & sacerdotes, sciencia & virtutibus debent eminere.
- 4 Artem suam quisq; diligenter curat & colit.
- 5 Sacerdotibus imperitiis non est detrahendum.
- 6 Officia diuina, an hodie figura careant.
- 7 Lex antiqua, quadam habet mystica, quadam moralia.
- 8 Lex an recipiat mutationem. disting.
- 9 Scripturæ sacra, quadruplici sensu expenduntur. & nu. 13.
- 10 Allegoria, quid. 11 Tropologia, quid. 12 Anagoge, quid.
- 14 Institutionum Ecclesiasticarum varius vsus: vt varius ortus. nu. 15. & 17.
- 16 Durandus communem Ecclesiæ formam instituit, non singularem.
- 18 Rationale, vnde, & quò hoc nomen sortitum.
- 19 Rationale hoc, in octo partes diuiditur.

P R O O E M I V M.



QVAECVNQVE in Ecclesiasticis officijs, & rebus ac ornamentis consistunt, diuinis plena sūt signis atque mysterijs, ac singula sunt celesti dulcedine redundantia: si tamen diligentem habeāt inspectore, qui norit mel de petra sugere, oleūq; de durissimo saxo. Quis tamē nouit ordinē cœli, & rationes ipsius ponet in terra? Scrutator quippē maiestatis, opprimetur à gloria. Siquidē puteus altus est, & in quo aquam hauriam, non habeo: nisi porrigat ille, qui dat omnibus affluenter & non improperat: vt inter medium montium transeuntem hauriam

Deut. 32
Iob 38
Prou. 25
Ioānis 4
Iacobi 1
Psal. 103
Esaia 12
Apoca. 3
Cantic. 2
Exod. 25
Sapient. 10
Ioānis 3

verò paululum remisisset, Amalech populum superabat: Aarō autem & Hur, sustentabant manus eius, ex vtraque parte. Legitur etiam iij. Regum cap. viij. quòd Salomon stetit ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israël: & expandit manus suas in cælum orans pro populo. Act. 1
Io. & Gene. iij. Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum. Eleuatio autem ipsa, repræsentat, quòd Christus eleuatis manibus ferebatur in cælum. Vel eleuat manus ad instar saluatoris in cruce pendens. Vnde illud: Eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. Extensio verò manuum, idèò fit. Nam Christus cum expādisset manus in cruce, pro persecutoribus orauit, dicēs: Pater mi, dimitte illis: quia nesciunt quid faciunt: moraliter instruens: quia Christus semper paratus est recipere pœnitentes. Iuxta illud, quod ipse promissit: Ioan. 6
Omnis qui venit ad me, non eijciam foras. Quidam tamen perfidi heretici derident huiusmodi manuum extensionem, propter illud Esa. Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis. Esa. 1

S V M M A.

- 1 Epistola, quid. Vnde dicatur. & quid significet.
- 2 Epistola vbi debeat legi.
- 3 Epistola cur præmittatur Euangelio.
- 4 Diaconus lecturus Epistolam, à quibus, & quot comitetur.
- 5 Epistolam legens, quòd fleclere vultum debeat.
- 6 Epistola sumpta ex libro Iosif vel Salomonis, qualiter terminetur.
- 7 Epistolam legere non potest qui, nisi fuerit subdiaconus.
- 8 Ministerium verbi Dei, est triplex.
- 9 Sedendi vsus, vnde.
- 10 Lectiones Apostolicas & Euangelicas, qui primùm statuerit debere dici ante sacrificium.
- 11 Euangeliorum, Epistolarum, & Prophetiarum varia est terminatio.

De Epistola.

C A P V T X V.



Ratione finita, dicitur Epistola, † quæ significat doctrinam Apostolorum. Eleganter autem illam præcedit oratio: quia legitur Luc. x. c. Rogate dominum messis, vt mittat operarios suos in messem suā. † Sane Epistola Græcè, & Latine supermissio, vel superoratio: dicitur ab ἐπι quod est supra, & ᾠα, missio.

- * * Missa enim est ab Apostolis supra legem Mosi, supra Psalmistas & Prophetas, supra Euangelium, sicut & prophetiæ supra legem: vnde & literæ de vna persona ad aliam missæ, appellantur Epistolæ, scilicet

RATIONALIS DIVINORUM OFFICIORUM

IOANNE BELETHO

Theologo Parisiensi authore opus annis ab
hinc ferè quadringentis conscriptum,
nunc demùm opera Cornelij Lauri-
mani Ultraiectini in lucem edi-
tum, ac diligenter à men-
dis compluribus re-
purgatum.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

AC REVERENDISSIMO DOMINO

D. GEORGIO AB AVSTRIA Episcopo Leodien-
si, Duci Bullonensi, Comiti Loffensi, ac Marchioni Francimontano,
&c. Cornelius Laurimanus Ultraiectinus, S. D.



SAMIVS ille Pythagoras, quo viro in tota Græcia
neque meliorem fuisse, neque doctiorem haud iniuria
profecto putandum est, Princeps Illustrissime, ita me
domesticis aliisque negotiis distractum satis, iam pri-
dem vnica sententia occupatum detinuit, ut qua tan-
dem ratione ab ea recederem, ipsemet mecum diu mul-
tùmque dobitauerim. Ea autem est huiusmodi, Nimi-
rum tum maxime & pietatem & religionem versari in animis, cum rebus
diuinis operam adhibuerimus. Nam quotiescunque hanc voluo ac renouo,
accuratiusque mecum examino, tātus ilico rerum diuinarum passim apud
omnes subit animum neglectus, ut iam non mirum mihi adeò videatur, si
penè infinitos exulceratissimo hoc saculo habeamus, in quorum animis nō
salūm pietas, sed & religio tā frigidū obducta est cineribus, atque ita peni-
tūs extincta, ut propemodū difficile sit ipsam, non dico rursus excitari, sed
in aliquā fauillam prouocari. Vnde profecto, qui non hinc temporis huius
iniuriam,